



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secundam. Vtrum data quacunq[ue] creatura deus possit facere  
alia[m] perfectiorem secundu[m] speciem, ita q[uod] no[n] sit status in  
perfectionibus specificis, sed sit processus in infinitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

### Magistri Durandi de

volebat producere: & ex ipsis cōstituere, sic enim optimi est optima producere secundum Dionysium: & nihil omnus Deus potuit producere omnia meliora ad cōstitutionem melioris vniuersi si sic ordinasset.

### QVÆ STIO SEC VND A.

Vtrum data quacunque creatura Deus possit facere aliam perfectiore secundum speciem, ita vt non sit status in perfectionibus specificis, sed sit processus in infinitum.

*Tb. vbi supra.*

**A**d secundum sic proceditur. Et videtur quod Deus possit facere quacunque specie data perfectior, quia res procedunt a Deo sicut numeri ab unitate (secundum Dionysium) sed ab unitate procedure numeri in infinitum, ita quod data quacunque specie numeri adhuc potest maior dari, ergo similiter res procedunt sic a deo quod data quacunque specie, quantumcumque perfecta, adhuc potest perfectior inveniri, & sic semper: igitur Deus potest facere creaturam meliorem quam fecerit procedendo in infinitum.

**2.** Item Deus potest facere omne illud quod non impli cat contradictionem, sed infinitas species esse (saltem in potentia & successione) non implicat contradictionem, sicut dictum fuit prius de speciebus figurarum, ergo &c.

**3.** IN C O N T R A R I V M arguitur, quia Deus fecit aliquam rem qua nulla potest esse vilior, vel inferior (vt est materia prima) ergo fecit aliquam aliam qua nulla potest esse nobilior, vel superior, non potest ergo facere aliquam meliorem quam illa sit.

**4.** R E S P O N S I O. Circa questionem istam duplex est opinio. Una quorundam dicentium quod talis processus in infinitum est possibilis, non sic quod sit quandoque deveniunt ad infinitas species actu, sed quia nunquam est dare ita perfectam quin possibile sit dare perfectiorem.

**5.** Confirmatur haec opinio. Primo, quia potentia Dei est infinita, non solù est essentia, sed ut potentia, sed non est infinita ut potentia, nisi posset producere infinita secundum perfectiones specificas, ergo &c. Maior cōceditur ab omnibus, minor probatur, quia potentia ut potentia includit respectum ad obiectum possibile, & idem non est infinita sub ratione potentiae, nisi posset in infinititate obiecta nec sufficit quod illa sint infinita secundum multitudinem numerale, quia sic cur essentia non est infinita simpliciter secundum rationem essentiae, si esset determinata ad aliquam speciem, dato quod esset infinita intensa in illa specie (vt si ponemus calorem infinitum intensum) sic nulla potentia est infinita sum pliciter secundum rationem potentiae, si obiectum eius sit infinitum solù secundum numerum & limitatum ad speciem, sed oportet quod sit infinita secundum perfectiones specificas: & haec fuit minor, sequitur ergo conclusio.

**6.** Secundum confirmatur eadem conclusio sic: deus potest quicquid non implicat contradictionem, sed posse fieri nobis in creatura (quacunque data) non implicat contradictionem, ergo &c. minor probatur, quia illud quod non ponit infinitatem in rebus creatis non implicat contradictionem, sed ponere quod data quacunque creatura adhuc posse dari nobis, non ponit aliquam infinitatem, quia cum illa quia tu das sic finita poterit excedi ab alia finita, ergo istud non implicat aliquam contradictionem, et ergo Deo possibile.

**7.** Tertio probatur idem sic: Deus producit species rerum secundum rationes ideales, sed infinita idea sunt in Deo, ergo Deus potest producere infinitas species: minor probatur, quia essentia diuina ut imitabilis a creatura habet rationem ideae, sed cum ipsa sit infinita perfectio nis, est etiam infinita imitabilitatis, ergo habet rationem infinitarum idearum, ergo &c.

**8.** Q V I C Q V I D sit de coniunctione rationes tamē illae non cogunt, cum enim primò dicitur quod potentia dei est infinita, non solù sub ratione essentiae, sed sub ratione potentiae, posset dici probabiliter quod non, quia licet ea que infinitum secundum se & absolute, sunt infinita saltem intensius non solet sub ratione essentiae, sed sub ratione propria, tamen illa que non infinitum Deo, nisi in habitudine ad creaturas, & quibus correspontet correlatiū aliquid in creaturis non possunt esse infinita sub sua propria ratione, sicut dicimus de ideis, quia enim essentia diuina non habet

### Sancto Porciano

rationem ideae, nisi prout est imitabilis a creaturis: ideo sicut nulla creatura est infinita, sic nulla idea in deo est infinita sub propria ratione ideae, correspondentem enim sibi inuicem imitabile & imitatu, & unum ponitur in ratione alterius, cum igitur potentia propriè dicata, de qua loquimur non nisi Deo, nisi in habitudine ad creaturas, que sole propria dicuntur possibilis (personæ enim diuina sunt necessariae) ideo non oportet dato quod essentia diuina sit infinita, quod potencia sub ratione potentiae sit infinita, cum nec aliqua creatura, nec omnes simul sint infinita, vel est quod maior propositio concedatur, tunc dicendum est ad minorum per interemptionem, quia non oportet ad hoc quod potencia sub ratione potentiae sit infinita quod possit prodere infinita secundum perfectiones specificas.

**9.** Quod partem contraria medio illius quod illi faciunt, quia sicut se habet infinitas essentia diuina ad perfectiones absolutas, sic se habet infinitas potentiae ad infinitatem possibilium (ut ipsius accepimus) sed infinitas essentiae diuinae non requirit quod includat infinitas perfectiones ab aliis secundum rationes specificas differentes, immo perfectiones quae sunt in Deo (scilicet quas simpliciter melius est habere quia eis carere) sunt finite multitudo, sed ex hoc solo sola essentia diuina dicitur infinita, quia continet infinitum secundum intentionem, ut sic loquar, omnes perfectiones absolutas possibilis, quāvis illis sunt multitudo finitae, ergo similiter infinitas potentiae diuinae non requirunt quod possit in infinita possibilia specie differetia, sed sufficit quod possit in omnia possibilium dato quod sunt finitae multitudo formalis, & specificis dum tamen possit in ea infinito modo, quod sit dum sub singulis speciebus multiplicabilibus, & non tantum in una ut argueatur, potest infinita individuus successivè producere, sic quod aduenientibus posterioribus priora non recedant ab eius causitate, ut dictum fuit in praecedente distin quæst.

**10.** Ad secundum rationem dicendum quod ipsa petit principium cum assamt quod omne finitum potest excedi a finito, quia hoc non est verum, nisi ponatur possibilis processus in infinitum, si enim est status, tunc est dare supernum finitum quod non potest excedi, nisi ab infinito, & quia de processu in infinitum queritur, ideo illud assūmere est petere quod erat in principio.

**11.** Vel dicendum clarius quod dicere quodlibet finitum ratione qua finitum absolute possit excedi a finito non implicat contradictionem, sed dicere quod suprenum finitum possit excedi ab aliquo finito implicat contradictionem, quia si excederet ab aliquo finito iam non est suprenum inter finita, qui autem ponit statu in gradibus rerum ponit supremum, & ideo secundum ipsum est clara contradictione dicere quod quodlibet finitum possit excedi ab aliquo finito, & præter hoc petitio principii, quia quæstio de processu rerum in infinitum est quæstio, an sit in eis dare supremum an non, propter quod assūmere quod non sit dare supremum, sicut recte assūmunt cum dicunt quod quodlibet finitum potest excedi ab aliquo finito, est assūmere quod non sit in Deo infinita idea specierum, ut magis patet.

**12.** Ad tertium dicendum quod licet essentia diuina sit infinita perfectionis in se, tamen non est infinita imitabilitatis a creaturis, quia secundum se totam, & totaliter non est imitabilis, nisi ponatur quod deus potest facere alium deum, quod est impossibile. Vnde nullo modo sunt in Deo infinita ideas specierum, ut magis patet.

**13.** A L I V S modus dicendus est quod in perfectionibus specificis creaturarum non est possibilis processus in infinitum, sed est data vel dari potest creatura, ita perfecta quod non potest dari perfectior. Hoc autem probatur primò sic: cuilibet speciei possibili in rebus creatis respondet aliqua idea in Deo, sed in Deo nec sunt, nec esse possunt infinita ideas simul, nec simul nec successivè, ergo in rebus creatis, nec sunt nec esse possunt infinita species, nec successio. Major patet: sed minor probatur duplicitate. Primo, quia in habitibus per se ordinem, in superiori continetur perfectio inferioris (ut in sensu vegetativum, & in intellectivo sensu) sed inter ideas specierum est per se ordino secundum rationem, sicut est ordino secundum rem inter species rerum, ergo omnium idearum quae sunt acti in Deo una continent omnium aliarum perfectiones, si ergo essent acti infinita ideas vna

*Idem arg. fac.  
Est est sup. d.  
43. q. 1. nn. 35,*

vna earū est infinitē perfectionis, quod est impossibile, quia secundū talem idēa posse producere aliquā specie infinitē perfectionis (etia alius non producitur) nō enim est necessariū p̄ Deus prius producat specie minus perfectā, quā magis perfectā, potuisset enim produxisse angelū ante mundū corporeū, esse autē in rebus creatis aliquā speciem infinitē perfectionis est impossibile, quare &c.

14 Secundō probatur eadem minor sic, in per se ordinatis in quibus est dare perfectissimū & imperfectissimū, & tanquam terminos omnia claudentes impossibile est esse processum in infinitū, sed in ideis diuinis quae sunt actu in Deo est per se ordō rationis (vt dictū est) est etiā in eis dare perfectissimā, & imperfectissimā tanquam terminos omnes alias claudentes, ergo impossibile est q̄ sint infinita. maior pater, quia contra rationē infiniti est claudi terminis. Minor probatur, quia idēa sicut & species rerum differunt secundū gradū maioris & minoris perfectionis, ita q̄ nunquam dū possunt esse in eodem gradu perfectionis, ergo inter ideas quae sunt actu in Deo est aliqua imperfectissima respectu omnīū aliarum, & aliqua perfectissima respectu omnīū, semper enim in eis est aliqua quae contineat omnium perfectiones, & hęc est perfectissima, & alia quae deficit ab omnīū aliarum perfectionibus, & hęc est imperfectissima, & inter has omnes alias continentur tanquam mediae inter terminos, quare &c.

15 Sed dicet aliquis q̄ licet inter duos terminos finitē distantes nō possunt esse media infinita, tamē bene possunt esse inter terminos infinite distantes, idea autē imperfectissima distat in infinitū ab idea perfectissima, cū illa ponatur infinita, & finita distat ab infinito infinite, quare inter illas duas ideas possunt esse mediae infinite.

16 Et dicendum quod hoc nō valet. Primo modo, quia si poneretur idea infinita possibile est dare in rebus species infinitam. Sed illa dari non potest multo minus in substantia quā in quantitate continua, vel discreta, quare &c. Secundō, quia dato quod illa est infinita, tamē inter alias aliqua est immediata secundum actum, quia inter omnes est ordo, tunc quereremus de illa si est finita, an infinita, si finita inter ipsam & imperfectissimam est finita distantia, & sic inter ipsas non poterunt esse infinita inedia, nec per consequens prius erant infinita inter perfectissimam & imperfectissimam, quia quicquid continetur actu intra primam distantiam continetur intra secundā, excepta vna quae ponitur terminus cuius additio non potest facere de finito infinitum.

17 Si vero dicatur esse infinita: Contra sicut infinito secundum quantitatem non potest esse maius quācum, & infinito secundum multitudinem non potest esse maior multitudine, sic infinito in genere substantie nō potest esse aliquid maius vel perfectius intra genus substantiae, sed suprema species est perfectior quam illa quae ponitur ei immediata, ergo illa non potest esse infinita, quod autem dictum est de speciebus rerum si essent, intelligēdū est de ideis specterū quae sunt in Deo, non sunt ergo ideas actu infinita, & simili.

18 Item nec possunt esse infinita successivū & in potentia, quia ideas quae sunt in Deo non solum sunt specierum quae nunc sunt, sed omnium quae esse possunt, ut enim patuit supra dist. 39. Deus scit ex necessitate naturae habitudines rerum inter se & ad Deum secundū omnem compositionem & diuisiōnem possibilem, & ideo scit ab aeterno necessario necessitate absoluta, & non solum ex suppositione qua & quorū species possunt imitari essentia suam sub ratione idei, propter quod necessario habet omnes ideas quas aliquo modo potest habere: probata est ergo perfectē minor, sequitur ergo conclusio.

19 Item sicut Deus probatur esse prima causa ex ordine causarum per se, ita probatur esse primum & summū perfectum ex ordine perfectionum specificarum: sed prima probatio nulla est, si in causis efficientibus est processus in infinitū, ergo nec secunda si sit in perfectionibus specificis possibilis processus in infinitū, & ita videtur quod non possunt esse species rerum infinita, etiam successivū.

20 A D R A T I O N E S in oppositum respondendū est: Et ad primū argumentū quod probat processum in infinitū esse possibilem in gradibus specierū, quia species sunt sicut numeri. Dicēdū q̄ similitudo non est ad pros-

politum, quia processus in infinitū in numeris nō est per accessum ad infinitatē cum sit dare numerū propinquissimū unitati (scilicet dualitatē), sed est per recessum a dualitate, econtrario processus qui ponitur in infinitū in species bus rerum non est per recessum eorū à Deo, cū sit dare infinitam speciem maximē distanciā a Deo, sed ponitur per accessum ad Deum. Propter quod in nullo est propositiū. Dicitur ergo Dionylii non est intelligendū quantum ad infinitatē, sed quantum ad compositionē, quia sicut numeri quanto plus distant ab unitate, tanto incident in maiorem compositionē. Si vero ex aliis sumeretur argumentum (scilicet q̄ quia species numerorum & figurarum procedunt in infinitum, sic potest esse in species bus substantiæ & aliorum generum) nō valet, quia figura & numeri nō dicunt secundum se aliquam naturā, sed modos rerū qui variari possunt in infinitum absq; variatione rerū secundum speciem, vt numeri variantur per solam plurificationem individuorum sub specie & figurae per variā positionem partium. Figura enim non est aliud quam talis vel talis positio partium in toto, nec dicit aliquā rem secundum se, nisi modus rei qui est ordo partium qui variari potest in infinitum nulla natura specifica variata. & ideo processus figurarum in infinitū non arguit processum naturarum specificarum in infinitū.

21 Et per hoc patet ad secundū.

## Q V A E S T I O T E R T I A.

Vtrum Deus possit facere vniuersum me-

lius quam fecerit.

Tho. ibidem ad tertium.

Tertio queritur vtrum deus possit facere vniuersum melius quam fecerit. Et videtur quod non, quia omni bono nihil potest esse melius (quia qui omne dicit nihil excipit) sed vniuersum includit omne bonum, ergo vniuerso nihil potest esse melius, quia nec aliud.

2 Item bonitas eorum quae sunt ad finem pensatur ex fine, sed vniuersum ordinatur ad finem quo non potest esse melior, scilicet ad Deum, ergo similiter vniuerso nihil potest esse melius.

3 IN C O N T R A R I V M arguitur, quia bonitas totius dependet ex bonitate partium, sed partes vniuersi possunt esse meliores quam sunt, & extensius quam plures, & intensius quantum ad bonitates accidentiales, ergo &c.

4 R E S P O N S I O . Vniuersum potest accipi tripliciter. Vno modo prout includit omne ens in creatum, & creatum, quod est actu, & quod in potentia, & sic non loquimur nunc de vniuerso, quia constat quod tali vniuerso nihil potest esse melius, quia includit omne bonum quod est, & quod esse potest, & de hoc procedit primum argumentum. Alio modo accipitur vniuersum, prout includit omne ens, actu in creatum, & creatum.

5 Et sic dicunt aliqui q̄ vniuerso sic accepto nihil potest esse melius, quia in eo includitur Deus, qui cum mille iniundis, vel cum mundo meliorato nō est aliquid melius se solo, quod probatur primo, quia maior est comparatio puncti ad lineam quam bonitatis cuiuslibet creature entis & possibilis ad bonitatem diuinam, sed linea & punctus simul non sunt aliquid maius quam sola linea, ergo bonitas diuina cum in omni bonitate creabilis, & creata non est aliquid melius sepius sola. Secundo quia hoc videtur dicere scripture Exo. 33, oīlēdā tibi omne bonum, quod non est si alia connumerata cum ipso constituerent aliquid totum melius, quare &c.

6 Istud autem videtur mirabile, licet enim bonitas diuina non melioretur, nec deterioretur bonitate creature addita, vel substracta, tamen omnino videtur quod duo bona, vel plura bona sint aliquid melius salte extensius, quam unum illorum, maximē quando in uno non includitur alterum formaliter sicut in hominē includitur rationale, propter quod homo & rationale nō sunt plura entia, nec plura bona quam solus homo, sed bonū diuinum & bonum creatum sunt plura bona sicut plura entia, nec bonum creatum includitur in bono in creato formaliter & in actu, sed solum causaliter & in potentia, ergo vt videntur bonum diuinum & bonum creatū fūnt aliquid melius salte extensius quam solū bonum diuinum, nec aliquis sanā mentis potest concipere q̄ duo non sint plura uno.